

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones  
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

**Augustinus, Aurelius**

**[Reichenau ?], [14. Jh.]**

Sermo XVI

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)



per istam <sup>femina</sup> ~~famam~~ manet apud eos biduo. hoc est dat illis duo praecepta  
 caritatis & multo plures & firmitus in eum credunt. qm̄ uere ipse est  
 saluator mundi. **INCIPIT SERMO XVI AB EO QUOD  
 DICTUM EST AB ITENIM IHS POST BIDUUM  
 QUOD FECERAT IN SAMARIA USQ. AD IO UBI AIT  
 ET CREDIDIT IPSE ET DOMUS EIUS TOTA.**

**H**odierna euangelica lectio hesternae diei sequitur lectionem quae  
 nobis addisputandum proponitur. in qua quidem sensus non sunt in  
 uestigatione difficiles. sed digni praedicatione. digni admiratione &  
 laudatione; pro inde locum istum euangelii cum commendatione comme  
 moremus. potius quam cum difficultate tractemus; Abit enim ihs post biduum  
 quod fecerat in samaria in galileam. ubi nutritus erat; sequutus autem euan  
 gelista ait, Ipse enim ihs testimonium perhibuit. quia propheta in patria  
 sua honorem non habet; Non propterea post biduum discessit de samaria  
 ihs. quia honorem in samaria non habebat; non enim samaria patria ipsius erat.  
 sed galilea; Cum ergo istos deseruisset tam cito & ad galileam uenisset ubi nu  
 tritus erat. quomodo adtestatur. quia propheta in patria sua honorem non habet.  
 magis uideatur adtestari potuisse. quod propheta in patria sua honorem non ha  
 beret. Si contemneret pergere in galileam & in samaria remansisset; Intendat  
 ergo caritas uestra insinuatum nobis non modicum sacramentum. suggerente  
 dno & donante quod loquar; quaestionem propositam cognouistis. solutione  
 eius exquirite. sed repelamus propositionem. ut solutionem desiderabilem fa  
 ciamus; mouet nos cur euangelista dixerit. ipse enim ihs testimoniu perhibu  
 it. quod propheta in patria sua honorem non habet; hoc per motu r & eximus uer  
 ba superiora ut inueniamus. cur hoc euangelista dicere uoluerit. & inuenimus  
 superiora uerba eius ita narrantis. qm̄ post biduum profectus est de sama  
 ria in galileam; propter hoc ergo dixisti o euangelista testimonium perhi  
 buisse ihm. quod propheta in patria sua honorem non habet. quia post bi  
 duum reliquit samariam & properauit uenire in galileam. Immo uero quasi  
 uideor mihi congruentius intellegere. quia si honorem in patria sua ihs non  
 habet. non ad eandem relicta samaria festinat. sed ni fallor. immo quia  
 uerum est & non fallor. melius enim quam ego uidit euangelista quid diceret.  
 melius me ueritatem uidebat. quia eam de pectore dni bibebat; ipse enim est  
 iohannes euangelista. qui inter omnes discipulos super pectus dni discumbe  
 bat. & quem dns caritatem debens omnibus. tamen praeceteris diligebat; ergo  
 ille falleret. & ego recta sentirem. Immo si pie sapio. oboedienter iudicam.



nrq limarij:

quod dixit ut merear sentire quod sensit; Accipite itaq. carissimi quid hic sentiam sine praeiudicio; Si uos melius aliquid senseritis; magistrū enim omnes unum habemus & in una scola condiscipuli sumus; hoc ergo sentio & uide & si non aut uerum est aut propinquat ueritati quod sentio; In samaria biduum fecit & crediderunt in eum samaritani; tot dies, in galilea & non in eum crediderunt galilei; r̄ & exite uel recolite memoria hesterni diei & lectionem & sermonem; Uenit in samaria ubi eum primo mulier illa praedica uerat. cum qua ad puteum iacob loquutus erat magna mysteria; eo uiso samaritani & audito crediderunt in eum propter uerbum mulieris & firmiter crediderunt propter uerbum eius & plures crediderunt; sic scriptum est; ibi factu biduo quo numero dierum mystice commendatus est. Duorum numerus praeceptorum. in quibus duobus praeceptis tota lex pendet & prophetae. sicut hesterni die nos commendasse meministis. Pergit in galileam & uenit in ciuitatem chanaan galileae ubi aquam uinum fecit; ibi autem quando aquam in uinum conuertit sicut scribit ipse iohannes. crediderunt in eum discipuli eius; & utiq. plena domus erat turbis conuiuantium; factum est tamen magnum miraculum & non in eum crediderunt nisi discipuli eius. hanc ciuitatem galileae modo reperit; Et ecce quidam regulus cuius filius infirmabatur. uenit ad eum & rogatus coepit ut descenderet ad illam ciuitatem uel domum & sanaret filium eius; incipiebat enim mori; qui rogatus non credebatur; quid a me expectas audite. dñm interroga quid de illo senserit; rogatus enim talia respondit; Nisi signa & prodigia uideritis. non creditis; arguit hominem infide tepidum aut frigidum aut omnino nullius fidei sed temptate cupientem de sanitate filii sui qualis esset xpi quis esset & quantum possit; uerba enim rogatus audiuiimus. cor diffidentis non uidemus; sed ille pronuntiauit qui & uerba audiuit & cor inspexit; Deniq. & ipse euangelista testimonio narrationis suae ostendit. quia nondum crediderat qui uenire ad domum suam dñm cupiebat ad sanandum filium eius; Nam postea quam ei nuntiatum est sanum esse filium eius. & inuenit ea hora sanatum qua hora dñs dixerat. uade filius tuus uiuit & credidit inquit ipse & domus eius tota; si ergo propterea credidit ipse & domus eius tota. quia nuntiatum est ei filius eius sanus & comparauit horam nuntiantium horae praenuntiantis quando rogatus nondum credebatur; samaritani nullum signum expectauerant. uerbo eius tantum modo crediderant. Cuius autem eius audite meruerunt. nisi signa & prodigia uideritis. non creditis. & ibi tamen factu tanto miraculo non credidit nisi ipse & domus eius; ad solum sermonem crediderunt plures samaritani. ad illud miraculum sola illa domus credidit ubi factum est;



quid igitur fr̄s. quid nobis commendat d̄s; tunc galilea iudeae patria  
erat dñi quia ibi nutritus est. nunc uero quia portendit aliquid res illa. non  
enim sine causa dicta sunt prodigia. nisi quia aliquid portendunt, prodigium prodigium  
enim appellatum est quasi prodicium. quod porro dicit. porro significat  
& aliquid futurum esse portendat. quia ergo aliquid illa omnia portende  
bant. aliquid illa omnia praedicebant; faciamus modo nos patriam dñi nr̄i  
ih̄u xp̄i secundum carnem; non enim habuit patriam in terra nisi secundū  
carnem quam accepit in terra; faciamus ergo patriam dñi populū iudeorū;  
ecce in patria sua honorem non habet; modo adtende iudeorū turbas.  
ad tēde iam gentem illam dispersam toto orbe terrarum & euulsam radici  
bus suis. ad tēde ramos fractos concisos. dispersos. aridos. quibus fractis  
inseri meruit oleaster. uide turbam iudeorum quid dicit; modo quem  
colitis. quem adoratis. frater noster erat. & nos respondeamus. propheta in  
patria sua honorem non habet; Deniq. illi ambulātem dñm ih̄m in terra  
facientemq. miracula. caecos inluminātem. surdis aurē aperientem. mutū  
rū ora soluentem. paralyticorum membra stringentem. super mare am  
bulātem. uentis & fluctibus imperantem; mortuos suscitātem. tanta sig  
na facientem uiderunt & uix inde pauci crediderunt; populo d̄i loquor;  
tam multi credidimus. quae signa uidimus. illud ergo quod tunc factum est.  
hoc quod nunc agitur portendebat; iudaei fuerunt uel sunt similes galileis.  
non similes illis samaritanis; euangelium audiuimus. euangelio consensi  
mus. per euangelium in xp̄m credidimus. nulla signa uidimus. nulla exigi  
mus. quamuis enim unus eduo decim electos & sc̄is tamen israhelita fuit.  
de gente scilicet dñi. thomas ille qui in loca uulnerum digitos mittere cupiebat.  
sic eum arguit dñs quomodo istum regulum; huic dixit. nisi signa & pro  
digia uideritis non creditis. illi autem dixit. quia uidisti credidisti; ad  
galileos uenerat post samaritanos qui sermonem eius crediderant. apud quos  
nulla miracula fecerat. quos firmos in fide securos cito dimiserat. quia diu  
nitatis praesentia nondimiserat; ergo quando dicebat dñs thomae. ueni mitte  
manū tuam & noli esse incredulus sed fidelis. & cum ille exclamarat tactis uul  
nerum locis & diceret. dñs meus & d̄s meus. increpat & dicitur ei; quia ui  
disti credidisti; quare. nisi quia propheta in patria sua honorem non habet;  
quia uero apud alienigenas propheta iste honorem habet. quid sequitur.  
Beati qui non uident & credunt. praedicti sumus nos & quod dñs ante lau  
dauit. & in nobis implete dignatus est; uiderunt qui crucifixerunt. pal  
pauerunt & sic pauci crediderunt. nos non uidimus. non coniectaui  
mus. audiuimus credidimus. fiat in nobis. perficiatur in nobis beatitudo.



quam promisit. & hic quia patriae ipsius praelati sumus & in futuro saeculo. quia pro ramis fractis inserti sumus; hos enim ramos se fracturum esse mons-  
trabat & hunc oleastrum inserturum. quando commotus centurionis fide  
qui ei dixit. Non sum dignus ut subtectum meum intres sed tantū dic uerbo &  
sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens  
sub me milites & dico huic uade & uadit & huic ueni & uenit & seruo meo  
fac hoc & facit. Conuersus ad eos qui se sequebantur dixit. Amen dico uobis  
non inueni tantam fidem in israhel; quare non inuenit tantam fidem in israhel  
quia propheta in patria sua honorem non habet; Num quid non & illi centurioni  
poterat dicere dñs quod dixit huic regulo. uade puer tuus uiuit. Uide & distinc-  
tionem; Regulus iste ad domum suam dñm descendere cupiebat. ille centurio  
indignum se esse dicebat; illi dicebatur. ego uenio & curabo eum. huic dictum  
est. uade filius tuus uiuit; illi praesentiam promittebat. hunc uerbo sanabat;  
iste tamen praesentiam eius extorquebat. ille praesentia eius indignum  
esse se dicebat; hic cessum est elationi. illic concessum est humilitati. tamquā  
huic diceret. uade filius tuus uiuit. noli mihi tedium facere. nisi signa & prodigia  
uideritis non creditis; praesentiam meam uis in domo tua. possum & uerbo  
iubere. noli tu designis credere; centurio alienigena credidit me posse uerbo  
facere. & ante quam facerem credidit; uos nisi signa & prodigia uideritis. nō  
creditis; Ergo sicca est. frangantur superbi rami. humilis inseratur oleaster.  
maneat tamen radix illis praecisis. istis recepat; Ubi manet radix. in patriar-  
chis. & enim patria xpi populus israhel. quia ex eis uenit secundum carnem.  
sed huius arboris radix. abraham. isaac. & iacob. patri archae sci. & ubi isti. in  
requie apud dñm. in honore magno. ut in abraham sinum adiectus ille pauper  
post corporis exitum leuaretur. & in abraham sinu de longinquo a superbo  
diuite uideretur; ergo radix manet. radix laudatur. sed rami superbi & pre-  
cidi & arescere meruerunt; Oleaster autem humilis illorum praecisione in-  
uenit locum. Audi ergo quem admodum praecidantur rami naturales. quē  
ammodum inseratur oleaster. ex ipso centurione quem propter compara-  
tionem huius reguli commemorandum putauit. Amen inquit dico uobis. Non  
inueni tantam fidem in israhel; propterea dico uobis. quia multi ab oriente  
& occidente; quam late terram occupauerat oleaster; amara silua mundus  
hic fuit. sed propter humilitatem. propter non sum dignus qui subtectum  
meum intres. Multi ab oriente & occidente uenient; & puta quia uenient.  
quid de illis fiet. si enim uenient iam praecisi sunt de silua; ubi inserendi sunt  
ne arescant. & recumbent inquit cum abraham & isaac & iacob; in quo con-  
uiuio ne forte non in uites ad semper uiuendum sed ad multum bibendum.



recumbent cum abraham & isaac & iacob, ubi; in regno inquit caelorum;  
 & quid erit de illis qui uenerunt de stirpe abraham. quid fit de ramis quibus  
 arbor plena erat. quid nisi quia praecedentur ut isti inserantur. Doce quia  
 praecedentur; filii autem regni ibunt in tenebras exteriores; habent ergo  
 apud nos honorem prophetae quia non habuit honorem in patria sua; non ha-  
 buit honorem in patria in qua conditus est. habet honorem in patria quam  
 condidit. In illa enim conditus est conditor omnium. conditus in illa est  
 secundum formam serui; nam ipsam ciuitatem in qua conditus est ipsam sion.  
 ipsam iudaeorum gentem. ipsam hierusalem ipse condidit cum esset apud  
 patrem uerbum dei; omnia enim per ipsum facta sunt & sine ipso factum est  
 nihil; De illo ergo homine de quo hodie audiuius unus mediator dei & hominum.  
 homo christi ihesu. & iam psalmus praeloquutus est dicens; mater sion dicit homo.  
 quidam homo mediator dei & hominum; homo mater sion dicit; quare mater  
 sion dicit. quia inde accepit carnem. inde uirgo maria. de cuius uero serui  
 forma suscepta est. in qua dignatus est apparere humillimus; mater sion  
 dicit homo. & homo iste qui dicit mater sion factus est in ea homo factus est  
 in ea; nam deus erat ante eam & homo factus est in ea; qui homo factus est in ea.  
 ipse fundauit eam altissimus. non humillimus; homo factus est in ea humil-  
 limus. quia uerbum caro factum est & habitauit in nobis. ipse fundauit eam  
 altissimus. qui in principio erat uerbum & uerbum erat apud deum & deus erat  
 uerbum. omnia per ipsum facta sunt. quia uero condidit istam patriam.  
 hic habet honorem. reppulit eum patria in qua generatus est. suscipiat eum  
 patria quam regenerauit.

**INCIPIT SERMO XVII AB EO LOCO UBI AIT.**

**POST HAEC ERAT DIES FESTUS IUDAEORUM ET  
 ASCENDIT IHS HIEROSOLIMIS. USQUE AD IO QUOD  
 DICIT SED ET PATREM SUUM DICEBAT DOMINUM DE  
 QUILEM SE FACIENS DEO.**

**M**irum non esse debet ad deum factum miraculum. mirum enim esset si  
 homo fecisset; magis gaudeat quam mirari debemus. quia deus noster  
 & saluator ihesu christi homo factus est. quam quod diuina inter homines deus fecit;  
 plus est enim ad salutem nostram quod factus est propter homines. quam  
 quod fecit inter homines. & plus est quod uita sanauit animarum. quam quod  
 sanauit languores corporum mortuorum; sed quia ipsa anima non eum  
 nouerat a quo sananda erat. & oculos habebat in carne unde facta corpora  
 lia uideret. nondum habebat sanos in corde. unde deum latentem cognosceret.  
 fecit quod uideret poterat. ut sanaretur unde uideret non poterat. Ingressus